



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

Quid interim in Anglia patiuntur Catholici ostenditur in Thoma Pondo. n.  
15.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

## Historiæ Prouinciae Anglicanæ.

44

1575.

titiam, epulas, ac propè intemperantiam ipsam lœculi præstabiliorē assentes. Audiebat ista vir in fide nouus, iudicio canus, & facilè perspiciebat quā animi leuitate, quā egestate ingenij, quā mentis abiectione & dicerentur & fierent. At quibus armis ab hoste antiquo impellebatur ad ruinam, ijs se sustentabat ad gloriam. " Itane vero? Intra ipsa lacrosan etiæ vita claustra tanto cum discrimine confligitur, ut illi qui ijs gaudent Dei donis quibus maiora sunt nulla vix se aut nè vix quidem tueantur? quid in turbinibus lœculi, quid in fluctibus, qui ingentes sunt, sperandum? Eripiam me ocyus ab his procellis, & portum quem tenuero, nullâ mihi vi eripi, nullâ contumeliahâ patiar occupari) *Romam* itaque cum venisset exeunte iam maio, & se attentius suaque per aliquot hebdomadas inspexisset, nihil cunctandum arbitratus, *Mercuriano* Societatis Generali se offert, timidiusculè primū, tum deducens in conclave, & sibi relictus, procumbens in genua, & Deo se totum tradens, tantâ animi lætitia redundauit, vt incunctanter suis omnibus se abdicaret bonis, & nullâ in posterum hæsitatione Societatis rationes complexus perpetuâ vixerit cum animi æquabilitate.

Sequuntur  
contuber-  
nales.

XIV. Dies quartus Iulij eius in Societatem cooptatione notatur; quamquam ipse alicubi diem vigesimum quintum, diuo *Iacobo* sacrum, memoret, quo fortè ad communem cum cæteris coniunctum fuerit admissus. At famæ quidem non legibus alis Patauium defertur *Personium* inter Societatis Tyrones esse conspectum: Id contubernialibus admirationem primū, mox recomperta non leuem consequendi cogitationem iniecit; *Lano* præfertim, quicum familiarius Oxonij vixerat, & prima deferendi Schismatis consilia habuerat communia. Sexto post mense sequitur: peractis probationibus missus Complutum, non diu superfluit; inter Theologica studia, laurea, ut sperabatur, donatus cælesti: Etenim quemadmodum insigni cum sensu pietatis vitam instituerat, ita non minore cum opinione decepsit, pridie nonas maias, Anni septuagesimi noni. *Ateflos* le socium vtrique datus fune ferebatur, nisi præmaturè rebus humanis mors eum Patauij eripuisse. *Egidius* etiam *Gallopus*, licet Septembri insequenti voti compos factus, breui concessit è viuis. Quod autem *Bombinus* hunc inter eos recenset qui vel morte pro fide obita, vel immensis pro Christo laboribus in Anglia exantlatis post inclaruite, error est nominis: Is honor potius *Thomæ Pondo* debetur, qui sub *Gallopi* vel *Vvallopi* & *Duce*, & *Haringtoni* appellationibus reperitur aliquando latere voluisse: de quo confessim; de *Vvestono* & *Garnetto* opportuniùs alio in loco dicetur.

Quid inter-  
rim in An-  
glia patun-  
tur Catho-  
lici ostendit  
ur in Thoma  
Pondo.

XV. Dum Pragæ *Campianus*, Romæ *Personius*, pietatis iste studiis, & diuinioris sapientiae, ille docendi muneribus exsplendis vacat, opportunum erit Angliam tantisper reuiscere, & in uno Christi iniuncto Athleta, tum hæreticorum in Catholicos pertinaces iras, tum horum in fide indefessam constantiam intueri: neq; enim illustrior esse potest aut illorum in vexando obfirmatio, aut horum in sustinendo perseverantia, aut deniq; aliorum mentis diuina quædam celitudo,

## Societatis Iesu, Liber Secundus.

celsitudo, qui huiusmodi acerbitate nihil deterriti ad similia se magnis animis offerunt, quām si in vnius hominis continuata triginta annorum in lectatione, neque illorum furorem deferuisse, neq; horum ostendamus firmitatem esse debilitatam. *Ista Thomas Pondus* subiicit oculis, in quem virum neq; fortuito neq; alieno tempore incurrimus. Hoc enim anno memoratur (per eum quem olim habuerat sibi famulatē *Thomam Stephani* Romam destinatum) petjisse Societatem, & paucis post annis obtinuisse: nam inde ab extremis Indis, & vrbe Goa (quō inclinante anno septuagesimo nono *Thomas Stephani* peruennerat) factam vtrique hanc gratiam adgratulatur; Et *Mercuriani* Generalis literae ad ipsummet *Pondum* datæ, fidem faciunt anno septuagesimo octauo exente esse cooptatum: Quas literas tanquam viri optimè meriti monimentum hic adnectere visum est, lunt autem huiusmodi. " *Thomas Stephanus* frater noster nobis in Christo carissimus multa nobis narravit de constanti Dominationis Vestrae pietate, ac fide, quæ nobis pergrata fuere, ac prælertim quod iam à multis annis magno desiderio ad Societatem nostram aspiraret. Itaque etsi ita instituta nostra ferant, ut nullum nisi bene multis probatum experimentis in nostrorum numerum recipiamus, tamen & tam luculento tum Stephani, tum aliorum etiam testimonio permoti, & pro diuturna probatione tot annorum labores ac ærumnas accipientes, piis Dominationis Vestrae desideriis obsequendum duximus. Quare pro ea auctoritate quam nobis licet indignis Dominus Deus dare dignatus est, iam nunc Dominationem Vestram tanquam filium ac fratrem amplectentes, illum in Societatem nostram recipimus & admittimus, & quasi verum membrum in hoc corpus totum insertum, deinceps quoq; nostrorum omnij operum, laborum, meritorumque consortem ac partipem facimus. Speramus autem Dei clementiam atque infinitam bonitatem aliquando ita Dominationi Vestrae propitiam fore, ut eius, quod valde optamus, ex ipsis molestis ereptæ congressu ac præsentia fruileceat: quam facultatem, si eiulde prouidentia aliquibus de causis cripuerit, hoc tamen Dominationem vestram leiplam consolari volumus, quod post paucos huius breuissimæ vitæ dies in æterna illa immortalitate, quam semper spectare & ante oculos habere debemus, ita coniungemur, ut nulla nos deinceps res aut calus separare possit. De cætero etsi Dominationis Vestrae virtutem confirmatione non egere licet, quam audio esse viro Christiano planè dignam, breuite tamen ut filium carissimum monebo illis Apostoli Verbis ut meminerit *le spectaculum esse Deo, Angelis, & hominibus, Deo quidem,* ut ab eo sempiternis premiis pro minimis laboribus afficiatur, *Angelis* ut prælenti eorum auxilio roboretur, *hominibus* etiam, ut eos, quod hactenus fecit, plurimum suo exemplo ad veram pietatem accendat, & ad quævis pericula pro Christo alacriter subeunda confirmet. Quæ tamen ita à Dominatione Vestra prudenter & cautè geri cupimus, ut neque in apertum le discernem sine causa & fructu demittat, quæ non fortitudo sed temeritas existimanda est, nec valetudinem ac vires immoderata abstinentia & ieiunijs, quibus latius de-

Literæ  
Mercuria-  
ni ad Pon-  
dum.